



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

October.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

562 Dominica I. Octobris. SS. Rosarii.

riam! amplectamur Crucem! prope-  
remus ad pœnitentiam. Hoc sapere cum  
D. Hieronymo est.

*Instructio meritoria.*

Mortis ut recordatio sit nobis fre-  
quentissima, commendo pietati quoti-  
dianam defunctorum in cœmeterio vi-  
sitationem, ubi sæpius pro generoso sæ-  
culi contemptu, & radicato Dei amore  
recitabimus aut dolorosum Rosarium,  
aut Vesperas ex officio defunctorum, aut  
preces alias in hunc finem pro solatio ani-  
marum ordinatas. Misere mini! Mife-  
re mini! Agitur & de propria anima!

O C T O B E R.

Festum Sanctissimi, & ter Be-  
nedicti Mariani Rosarii.

EXHORTATIUNCULA I.

**Q**uanta hodie Festivitas! Dominica  
quanta! O fili! Verè nominan-  
da victoriæ dies! Quia solemnitas  
agitur, quâ innumera in mundum in-  
vecta sunt beneficia per SS. Rosarium.  
Mundus ubi esset, si S. Rosariô suô la-  
beni

benti non succurrisset Maria? Ubi essemus & nos?

*Instructio meritoria.*

Agnoscamus charitatem, & maternam providentiam, quâ corpus, & animam nostram hæcenus suffulsi pia Mater Maria: Et in gratiarum actionem tria SS. Rosaria quàm devotissimè ad aram illi offeramus, & quidem manibus SS. Patrum Benedicti, & Dominici sacratissimo Rosario addictissimorum. Verè Deipara suâ pietate, charitate, præsidio, ac patrocinio omnia potest ex dono Filii, à quo omnipotente omnipotens est effecta. Rich. à S. Laur.

II.

**F**illi! fortè nescimus potentiam SS. Rosarii? Ex ore intelligamus Mariæ ita B. Alanum alloquentis: *Scias velim, quòd, si Ave Maria devote peragatur, hoc sit signum certæ predestinationis ad futuram gloriam.* Hæc non excitent ad devotionem ardentissimam? O quàm magna multitudo dulcedinis, quam abscondit Maria diligentibus se!

*Instructio meritoria.*

Doleamus de nostra socordia, incuria, & negligentia, quâ non rarò salutavimus Mariam. In satisfactionem ad signum salutationis Angelicæ orabimus flexis genibus, erectis manibus, & clausis oculis. Pietas, & attentio probat Mariophilum. Addamus quoque *quindecim Ave* pro augmento fervoris circa salutationem Angelicam.

III.

**O** Qualis & dulcedo latet in SS. Rosario! Gustavit Alanus, dum dixit: *Quoties dico: Ave Maria! toties exultat cælum, aufugit demon, infernus contremiscit, devotio crescit &c.* En! in promptu causam, quòd nos ita steriles in oratione. Ore colimus Mariam! & cor est longè ab ea. Nec momentum, ubi Mater non recordatur suorum, & recordandò benefacit. Et tamen inter filios Evæ tam vilis & modica Mariæ memoria.

*Instructio meritoria.*

Cor dissipatum revocemus, & soli Matri immolemus. Deprecemur prostrato

strato corpore distractiones, & negligentias, firmumque cum Maria ineamus pactum, nullam jam amplius transigendi diem sine recitatione S. Rosarii: Chare mi! Integræ horæ, dies, & noctes impenduntur vanitatibus, corpori, sæculo! Ah! & nec quadrans invenitur pro cultu Mariæ, & consolatione nostræ afflictæ animæ? Certè offendimus Matrem, quæ semper bona est hominibus, quia per Ipsam habent Redemptorem. Bona peccatoribus, quia per Ipsam consequuntur veniam. Bona Justis, quia per Mariam obtinent perseverantiam. S. Vinc. Ferr. Dicamus *Te Mariam laudamus &c.* applicando Hymnum SS. Ambrosii, & Augustini Nomini B. V.

**Festum S. Francisci Seraphici**  
 Familiæ Humillimæ Fundatoris celeberrimi.

**EXHORTATIUNCULA I.**

**U**Nde tam mirabilis sanctitas Francisco? Contemptu sæculi. Rejctis etiam vestibûs cessit omnia bona patri-

566 IV. Octobr. S. P. Francisci Seraph.

tri, ut cum veritate profiteri posset:  
*Pater noster, qui es in caelis.* O nos cer-  
ræ immerfos vermiculos! quando sur-  
sum tendemus? Quando in Patrem no-  
bis constituemus Deum? *Unus Deus est*  
*Pater omnium, ad Eph. 4. Seviat, quan-*  
*tum vult, Pater est. Sed affixit nos!*  
*Sed contrivit nos: Pater est. S. Aug.*  
*Instructio meritoria.*

Non moremur Fili! Et ut Deum Pa-  
trem æternum, cœlum, ac beatorum  
gaudia cum S. Francisco plus æstime-  
mus, quàm cuncta transitoria, assuesca-  
mus hanc ipsam singulariter efflagitare  
gratiam, quoties mensam frequentamus  
angelicam. Tunc tempus acceptabile!  
Tunc dies propitiationis, & misericor-  
diæ! Pro renuntiatione mundanorum  
perfecta offeramus 34. *Pater & Ave*  
cum renovatione formulæ S. Professio-  
nis. Confurreximus cum Christo! quæ  
sursum sunt, quæramus, teneamus!

II.

**O** Quantum profuit S. Francisco amo-  
re Christi, reliquisse omnia! Inde  
enim orta est intima cum Deo unio, ami-  
cicia,

citia, & individua familiaritas. Hinc illa dulcedinis Verba : *Deus meus! & omnia!* Adeò est dulce, separari à sæculo, & paupertate conjungi Domino. Æquè beatus est, qui, cum nihil habeat, cupit nihil præter Deum, quàm qui habet omnia, quæ cupit extra eum.

*Instructio meritoria.*

Frustra, stultè, inaniter quietem quærimus in rebus creatis : Ad Deum properemus ! Si hodie recreationi, refectio- ni, vel alteri honestæ interfuerimus rela- xationi, mentem elevemus, rectam in- tentionem innovemus, spiritualiter communicemus, Deique intimè nobis præsentis vivâ fide recordemur cum D. Augustini protestatione : *Jesu ! ubi es ? Tædeat me gaudere sine te ! delectet me abstinere, & multa pati pro te. No- men tuum mea refocillatio ! memoria tui mea unica consolatio.* In fine recrea- tionis recitemus psalmum *Miserere cum Laudate pueri Dominum.*

III.

**F**Inem amor nescit. Amavit Fran- ciscus : Sed plus Franciscum Chri- stus

§68 IV. Octobris. S. P. Francisci Seraph.  
stus Dominus, qui & sua prodigiola  
amanti impresserat stigmata. Accurra-  
mus, fili! exosculemur! Nos, & totam  
Seraphicam Familiam intra eadem ab-  
scndamus! Gaudium magnum pro-  
diit in mundo, dum Fundator tanti or-  
dinis illuxit Ecclesiæ. O coelum! In ne-  
cessitatibus quando tua unquam nobis  
defuit providentia?

*Instructio meritoria.*

Nunquam defuisse, agnoscunt tot  
convulsæ hæreses; Contestantur tot re-  
giones, & provinciæ ad Christum con-  
versæ; profitentur & innumeri ad pœ-  
nitentiam reducti peccatores miseri. Id  
& nos agnoscamus, & in gratiarum acti-  
onem intonemus: *Confitemini Domino,*  
*quoniam bonus, quoniam in seculum*  
*miseriordia ejus.* Jungamus & officii-  
um minus de S. P. Francisco Seraphico  
pro totius Seraphicæ familiæ incremen-  
to. Hilarem Datorem diligit S. Fran-  
ciscus.

Festum



Festum Triumphantis, & gloriosè in cœlo Coronati Martyris ex Ord.  
S. P. Benedicti Placidi Sanctissimi  
cum Sociis beatissimis cum indulgentiis plenariis.

## EXHORTATIUNCULA I.

Miremur prodigiosam in Juvene Divinam Providentiam, Jam ab aqua videbatur suffocari, liberatur accurrentis subito S. Mauri obedientiâ cæcâ. Dixissem & fraternâ charitate, quam nec aquæ extinguere valent. Dilectissime! Mutemus corda cum cordibus SS. Placidi & Mauri. Aliô tunc regemur spiritu, spiritu Christi, qui posuit animam pro ovibus suis.

*Instructio meritoria.*

Vivimus incolumes, sani, & integri: Cujus beneficio? Divino. Hoc nos conservante, ô quanta evasimus pericula! Qualia & transivimus mala! In compensationem dicamus Litanias de omnibus Sanctis ex S. Ordine Magni D. Benedicti, quas in Trichemio invenimus dulcissimas. Commendemus por-

rò

rò functiones, & quæ restant, agenda negotia S. Placido. Magna potuit ut Juvenis coram Domino: Quid poterit ut Martyr?

## II.

**D**ilecte! Quid legimus hodie de viro tam mirabiliter benedicto? En! Breviarii formalia verba: *Nihil S. Placido placidius; Nihil humilius; Prudentia, gravitate, misericordia, & animi perpetua tranquillitate superabat omnes, & singulos.* O virtutes! Quàm necessarie & nobis! Fili! ad cœlum properamus; Nec cœli viam tenemus: Ubi prudentia nostra? Bene Eucherius: *Primas apud nos curas, quæ prima habentur, obtineant.*

*Instructio meritoria.*

Abjiciamus cætera! Deo & virtuti intendamus cum S. Placido. In hunc finem ordinemus sacramentalem Communionem hodiernam cum *Lytanis de omnibus Sanctis* Ecclesiæ triumphantis. Non est multum, quod sanctis offertur, & impenditur. Majora possumus.

mus. Tantùm probemus! amanti difficile nihil.

## III.

**S**Ternuntur fratres, occiduntur in passione socii, & pretiosi comites: Nec S. Placidus cedit. Vir erat zelò magnus, major tamen fortitudine, & patientiâ, quibus & socios animavit ad constantiam, & in mortem allexit gloriosam. Tam nobilem quid admiramur pro fide, & Deo oblatam victimam? Et nostra expectatur, prompta & fortis magna pro cœlo patiendi voluntas. *Non est durum, nec grave, quod ille imperat, qui adjuvat, ut fiat, quod imperat.* S. Aug.

*Instructio meritoria.*

Surgamus à socordia! Magna audeamus; Nam Dei gratia nobiscum! quam ne in vacuum recipiamus, aut penitè amittamus, specialiter redeunte singulîs annîs hoc solemni Festò, recordemur indulgentiæ plenariæ, vota renovemus religiosa & sanctum Martyrem Placidum, ut plurimos lucretur Christi socios, præmissâ abstinentiâ, sacramentali confessione.

sione, & accuratâ mentis recollectione  
veneremur, pro beneficio vocationis  
addituri psalmum: *Benedic anima mea  
Domino.* Beati mundo corde, quoni-  
am Deum, & Sanctos videbunt.

Festum S. Brunonis Fundato-  
ris Carthusianorum Fœcundissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

**O** Chare! si & nos nosceremus,  
quanta suavitas in vica solitaria,  
profectò desertis urbibus, mundi abje-  
ctis omnibus pompis & deliciis convo-  
larem ad eam! In hac mundus saluti  
nostræ infensissimus profligatur. In  
hac nihil ad peccatum; Ad virtutem, &  
sanctimoniam verò pelliciunt omnia.  
O si vel hodie S. Bruno nos in sui, & suo-  
rum traheret exemplum, & sequelam!  
Jucundius nihil in orbem terrarum, quàm  
solum cum solo colloqui Christo!

*Instructio meritoria.*

Ne fiat, fortè retrahit corpus? Aut  
mundi amor? Sed dirumpamus hæc  
vincula, & ut solidè, in honorem S. P.  
Brunonis abstineamus ab una, vel occa-  
sione

stone alterâ, ubi mens, & animus posset  
dissolvi periculosius. Hujus autem lo-  
co visitemus Deum in templo Evchari-  
sticum, qui dulciora ad cor loquetur,  
quàm vanus homo. Fiat! Fiat! O fili!  
Ne cor dividatur inter Jesum & mun-  
dum. Solitarii oremus hymnum ex fe-  
sto dedicationis Ecclesiæ: *Urbs Jeru-  
salem beata, dicta pacis visio &c.*

## II.

**S** Brunoni non sufficiebat, solitariâ  
vita profligasse mundum. Perpetuô  
insuper ciliciô carnem aggreditur petu-  
lantissimam. O Bone fili! Ne tantum  
nos amemus, ut credamus, pœniten-  
tiam solis convenire sanctis. Nos indi-  
gemus maxime, quia adhuc delicati, &  
molles. Odium erga inimicos prohi-  
bit Deus; erga corpus & carnem, man-  
dat & imperat. Qui odit animam suam  
in hoc mundo, in vitam æternam custo-  
dit eam.

*Instrucção meritoria.*

O quàm multa, & magna sunt pecca-  
ta nostra! Quàm modica verò pro his  
satisfactio, & pœnitentia! Mulcemus  
cor-

corpora tot malorum instrumenta. Si cilicia, si flagella, si jejunia, aut vigilia nobis non placent; id saltem amore salutaris agamus poenitentiae, ut hodie in omnibus adversis, & naturae contrariis nos Divinae voluntati conformemus cum dicto: *Domine! digna factis recipio. Tibi honor & gloria.* Amor mortificationis ut regnet in membris nostris, flectentes coram Crucifixo oremus officium de *quinque SS. Vulneribus*. Dabitur! Ecce! jam aperta sunt in hominis obsequia.

## III.

**S** Bruno nec diabolo cessit, imò solis stravit precibus. His quis locus opportunior solitudine. Huc fugiamus, ut inferorum evadamus laqueos. Vidimus satis contradictionem, scandala, aliisque centena peccandi pericula in Babylon, corrupto saeculo. O si nos tandem cum Davide resolveremus dicendo: *Ecce! elongavi fugiens, & mansi in solitudine.*

*Instructio meritoria.*

Sed de loco quaerimus? Ubique nobiscum

biscum est. Ambulemus in devota re-  
collectione mentis, & praesentia Dei : Et  
erimus in solitudine cum Deo. Cavea-  
mus, ne nos negotiis immisceamus alie-  
nis, aut dispositionibus ad nos nihil per-  
tinentibus. Inde summa, & continua  
animi, & mentis turbatio. Pro incre-  
mento Ordinis florentissimi, & Ecclesiae  
saluberrimi unam offeramus SSS. Trini-  
tati Sacramentalem Communionem.  
Oremus pro filiis : Et orabit S. Bruno  
pro devotis clientibus.

Festum S. Francisci Borgiae In-  
clytae Societatis Jesu Generalis Hu-  
millimi.

EXHORTATIUNCULA I.

**D**Ux hic Gandiae mortuum vidit Isa-  
bellae Imperatricis cadaver : Jam  
mundi deserit vanitatem, aulam con-  
temnit, & sanctiorem vitam decernit.  
Cur tam rara in nobis mortis recordatio,  
& memoria? Fili! & hoc ideò, quia ad  
Dominum nolumus converti feriò. In  
morte optabimus : sed non dabitur.  
Vae imparatis ! Justo Dei judicio accidit,  
ut,

576 X. Octobris. S. Francisci Borgiae.

ut, qui se parare, cùm posset, noluit non possit, cùm velit.

*Instructio meritoria.*

Ut memoriam mortis implantemus nobis quotidianam, ad cœmeterium pergamus, vel in cubiculo nostro quid de novissimis pro nostra pietate, & industria legamus. Visitatio sepulchrorum, & lectio, aut consideratio mortis quàm plurimos jam traxere ad cœlum. Ut & nos, oremus *preces* de Agonia Domini Jesu pro Feria sextâ recitari solitas. Agonizari cum Jesu, quanta felicitas!

II.

**I**N negotiis summis sive pro bono Ecclesiae, sive Societatis inclytæ augendô jejunia, catenas ferreas, cilicia asperissima, & cruenta verbera præmisit, quibus se, & corpus subigeret Christo. O quæ hæc nostra confusio? Grandia negotia non requiruntur in nobis ad hoc, ut in pietate, precibus, aut functionibus consuetis desistamus: Sufficit una distractio, aut levis turbatio. Meticulositas hæc est, quæ magna præstabit nunquam.  
Cessâ.



Cessare, & desistere ante consummationem, summæ ignaviæ est. Cœpisse non attenditur : Consummasse coronatur.

*Instructio meritoria.*

Ut ergo mi fili! evadamus in strenuos vineæ Christi, & Sacræ Religionis nostræ operarios, transeat in honorem S. Francisci tota dies hodierna in continuis laboribus, & functionibus facris. A precibus incipiamus, & pro augendo zelo omnium religiosorum oremus *Graduales Psalmos*. Devota, fervens, & charitativa oratio ascendit semper.

III.

**I**N mediis mundi deliciis, gaudiis, & tripudiis vitæ genus agebat durissimum hic Vir sanctissimus. Si esse cum sexu nobili altero oportuit, cingulum ferreum induit. Hic mos Sanctorum, dum inter pericula. Quis noster? O si huic imposterum simillimus! Fili! Sanctitatem æstimamus? Amittimus, si occasionem non citò fugiamus. *Ecce hostem! Quem fugisse, vicisse est.* Eus. Emiss.

Bb

In-

*Instructio meritoria.*

Fugere faminas non possumus semper; conversari tamen liberius, expedit nunquam. Ne inquinemur à pice, ne & à curiositate, ac falsitate rapiamur huius infausti sæculi, corpus durius habere incipiamus. Non causemur molliciem, aut habitus rebelles. Nulla mollicies, vel habitus tam radicans, quem sacrum sui odium mutare, & enervare ac evellere non potest. Poterit immutare & nos, modò manum applicemus. Igitur præveniamus labendi pericula, & ne unquam incidamus, per unam hebdomadam quotidie *aliquem ex psalmis pœnitentialibus* devotè oremus. Non incidet in foveam, cui ubique comes est humilis pœnitentia.

## Solemnitas Seraphicæ Matris

S. Theresiæ ex Mariano Ordine de Monte Carmeli.

## EXHORTATIUNCULA I.

**O** Charitatem S. Theresiæ! Hæreticorum, aliorumque peccatorum tenebras perpetuis deflebat lacrymis, atque

atque ad placandam Divinæ ultionis iram voluntarios proprii corporis cruciatus irato Domino pro eorum salute obtulit. Imò purgatoriis incendiis ad extremum usque iudicii diem cremari petiit, modò vel unus se converteret ad Deum peccator. Qualis, ò dilecte! hic ardor? Sancti, perfecti amoris. Estne & in nobis?

*Instructio meritoria.*

Erit, si vel hodie statuamus, nullam posthac transigere diem sine speciali, & expressâ peccantium, & neoconvertendorum memoria. Id præstemus sollicitè ad illum versiculum: *ψ. Divinum auxilium maneat semper nobiscum. R. Et cum miseris peccatoribus. Amen.* Pro horum salute offeramus *Cursum Marianum. In Manibus Mariæ verè reposita est nostra salus. Recordatur miseria nostra. Et quem ipsa vult, salvus erit, & à quo vultum avertit suum, vadit in interitum.* S. Bonaventura.

II.

**A** Mor probatur ad lapidem Lydium, firmatur inter adversa, & contraria.

B b 2

ria.

ria. Probata est & S. Theresia, dum experta sibi adversarios potentes sæculi viros, & principes. Non timuit Virgo. Omnia & majora pati parata pro Sponso, & hoc Crucifixo. Fili! ad omnia vix non tremur. Vivimus plerumque, non, ut patiamur, sed ut oblectemur. Quæ hæc vita? Flamma nutritur oleo, generosus animus patientia. Multa sustinere ab homine si non recusemus, parum est; lætari etiam oportet, quo nobis molestior, vel infensior ille.

*Instructio meritoria.*

Mutemus vitam, & aut cellæ, aut pulpito, vel (quod sanctius) ipsi cordi inscripta portemus S. Theresiæ verba, ac desideria: *aut pati, aut mori.* In Christiana fortitudine ut emineat Marianus, & insignis Ordo de monte Carmeli, opera hodiernæ diei donemus Mariæ per manus S. Theresiæ. Non perditur, quod Ordini tam sancto impenditur.

III.

**M**ors omnium terribilissimum, etiam Sanctis. Ecce! Virgo tam sancta, SSS. Trinitatis electissima sponsa!

sa! Ecce! Mater hæc Seraphica contremiscit tota, seque semper miserrimâ peritura morte existimat, quamdiu à cœlesti vitæ æternæ fonte abesset. Dilecte fili! quid agant jam peccatores, quales nos sumus?

*Instructio meritoria.*

Scio, quid agendum. S. Theresia docuit. Votum emisit (ò quàm arduum inferiori homini!) efficiendi semper, quidquid perfectius esse intelligeret. Votum hoc non petit à nobis Deus, benè firmum propositum, omnia nostra, quæ hodie assumenda, sacra exercitia peculiari fervore, recollectione, & accuratâ inchoandi, & finiendi attentione. Gratia Dei nobiscum, si hoc observaverimus. Verùm ut & frigidum cor nostrum Angelus S. Theresiæ suò ignitò amoris transfodiat jaculò, in privatò quòdam cubiculò flexis genibus, aut officiò minore de eadem Sancta (si tamen ad manum:) aut Lytaniis majoribus Seraphicam venerabimur Matrem. *Non recusabitur labor, ubi*

*amor est; Quoniam qui amat, non laborat.* S. August.

Festum S. Galli Abbatis Alemanniae Apostoli Spiritu Dei plenissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

**Q**uanta in nonagenario senecione vitae sanctioris documenta! Vitam duxit perquam arduam, quia rigidissimam, assiduò jejuniò, & ferreâ catenâ suam excrucians carnem. Non nocent jejunia vitae. Mille prostravit gula; neminem temperantia. *Qui abstinens est, adjiciet vitam.* Eccl. 37. A paradisi gaudiis per cibum cecidimus: Ad hæc, quantum possumus, per abstinentiam resurgamus. S. Greg. *Instructio meritoria.*

Sobrietatem, atque temperantiam ut perfectè possideamus, hodie extra communem refectioem neque de esculentis, neque poculentis aliquid admittamus, nisi aliud suaserit infirmitas. In honorem quatuor virtutum Cardinalium vid. *Prudentia, Justitia, Fortitudinis, & Temperantia* oremus quatuor decades  
ex

ex Rosario Doloroso. Vivimus non ut comedamus : Sed comedimus, ut soli Deo, & æternitati vivamus.

## II.

**C**ernimus ô chare ! Et ad nostram admirationem jucundissimum solitudinis & sacrati silentii in S. Gallo spectaculum. Pedem cellâ extulit nunquam, nisi cum contra idola, & vicia decertandum. Fili ! quid attentamus ? Nos in medio vivimus sæculi : & sanctificari cupimus ?

*Instructio meritoria.*

Fugiamus publicum; veneremur silentium; & quies mentis nullum patietur periculum. Subtrahamus nobis amore solitariæ vitæ, & tranquillitatis internæ quadrantem, vel horam mediam delicta recreatione, eamque demus vel piis manuscriptis, vel sanctioribus pro Deo, aut proximo susceptis negotiis. Non est securum, diu agere, aut loqui inter homines. Qui latet, cœlo placet.

## III.

**P**ro S. Gallo non modò dormiente, sed & mortuo vigilaverat cœlum.

Bb 4

Hu-

Hujus enim exuvias sacras cum equi indomiti in eremum reducerent sponte, cerei ponè incensi, frustra flantibus ventis, luxere continuo. Chare mi! Quis vigilabit pro nobis? Deus, Maria, Angelus Custos, S. P. Benedictus, B. Gallus, & Patroni cæteri. Cavendum, ne nostrâ improbitate eorum offendantur oculi.

*Instructio meritoria.*

Componamus nobis Lytanas de Sanctis Patronis, quas frequentius per hebdomadam accensò devotionis lumine, recitabimus ante cubitum. Sic multorum comitatu ibimus ad cœlum.

Festum S. Lucae Evangelistæ  
Beatissimæ Virginis, & S. Pauli  
Discipuli Piissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

**M**edicum Antiochenses venerabantur in S. Luca peritissimum: sed nobiliorem Ecclesia, quia animas Christo restituit plurimas. Quò medicamine? Dei verbò. Amandissime! Dedit & os nobis Deus. Cur tacemus, dum cla-



clamandum pro honore Divino, & salute proximi? Quare & loquimur, dum præstaret tacere? *Qui custodit os suum, custodit Deum, & animam suam; qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.* Prov. 13.

*Instructio meritoria.*

Verè medicinâ indigemus in linguâ. Sit hæc vel hodie in honorem S. Lucæ cauta, gravis, & circumspecta; & sanabitur tota, attendamus igitur, quid dicamus: Et quidquid dicendum, dicamus cum sale & ratione. Stateram, & pondus ut verbis statuamus nostris, sæpiùs signemus signò S. Crucis linguam cum dicto: *Benedicamus Patrem, & Filium cum S. Spiritu &c.* recitetur Psalmus: *Deus in adiutorium meum intende.* Lingua prona est in malum ab adolescentia sua. Ergo munienda.

II.

**S** Pauli Apostoli Divus Lucas fuit sectator, & omnis peregrinationis, sollicitudinis, & sancti laboris individuus comes. Hanc amicitiam approbat cœlum; nefariam prohibet. *Melius enim*

est, ait S. Isidorus, *habere malorum odium, quam consortium.* Bonorum virtus, & exempla sunt tutissima ad Deum via. *Amicus fidelis protectio fortis; qui invenit illum, invenit thesaurum.* Eccli. 6.

*Instructio meritoria.*

Pii, & exemplares amici nullibi desunt. Jungamur in unum. *Cum sancto sanctus eris.* Pietas, & illustria virtutum exempla ut Deus augeat in suis fidelibus ad commune totius Ecclesiae emolumentum, recitemus coram Crucifixo Jesu, aut Sanctissimo Altaris Sacramento *Lytanias de omnibus Sanctis*, ter repetendo: *S. Luca ora pro nobis.* Bis repetita placent, ter repetita magis.

III.

**S.** Lucas primus omnium pinxit Mariam. Pictores non sumus, mi fili! Esse tamen possumus, si puritatem, si modestiam, & humilitatem Mariae in nostris exprimamus sensibus, membris, operibus, & verbis. Hoc expectat Mater à filio: Quis renuet? Dicamus ergo ô dilecte, quod olim S. Ildephonsus:  
*Uti-*

*Utinam vitâ meâ prædicem te, Virgo!  
Quantum prædicanda es! Utinam dili-  
gam, quantum diligenda es! Utinam ser-  
viam tibi, sicut serviendum est gloria  
tuâ!*

*Instructio meritoria.*

Ut concedat, quod petimus & opta-  
mus, Maria, quoties transibimus hodie  
Imagines Beatissimæ Virginis, toties sa-  
lutabimus flexis genibus pronuntiantes  
corde, & ore: *Monstra te esse Ma-  
trem, sumat per te preces, qui pro nobis  
natus, tulit esse tuus.*

Festum S. Petri ab Alcantara

Veri poenitentium speculi ex Or-  
dine S. P. Francisci.

EXHORTATIUNCULA I.

**P**AUPER pauperem secutus est Jesum,  
relictis, quæ vana, & inania vidit  
in sæculo. O quàm providè, & sapien-  
ter! Audiit videlicet pius Petrus ex ore  
Christi: *Qui non est mecum, contra me  
est; & qui non colligit mecum, dispergit.*  
Ut quid igitur dividimus corda inter  
Christum, & corruptum sæculum? Jesus

cor respuit divisum, & vel totum, vel nihil habere cupit.

*Instructio meritoria.*

Tandem nos ipsos ex toto donemus, ut totum possideamus Deum. Ut fiat, de superfluis, sive in cibo, & potu, sive de vestitu, & somnô in venerationem Crucifixi Redemptoris, & S. Petri nobis aliquid subtrahamus, & pauperum recordemur. Sufficit homo (rem miram!) Deo: Et Deus non sufficit homini. Quæ hæc turpis avaritia?

II.

**S** Petrus sacri Ordinis expleri non potuit rigoribus. Creverat indies patiendi fitis. Hunc & auxit, illisque graviores addidit. Et hæc amore seriæ pœnitentiæ, ac satisfactionis. O dilecte fili! Pœnitentiam agere necessariò nos oportet, vel in hac, vel in vita altera. Utrum optamus? Eligamus modò, dum possumus. Tempus veniet, quò haud poterimus. Tum flebunt oculi. Rugiet pectus. At frustra! Non admittet Dei misericordia. *Vocavi vos: & renuistis.*  
In-

*Instructio meritoria.*

Utamur tempore pro fructibus datô  
pœnitentiæ. Utamur præsertim hac  
die: Et quidquid molestiarum, & con-  
trarietatis vel ab homine, vel à cœlo,  
aut universis elementis evenerit nobis,  
æquô, promptô, & hilari sustineamus  
animô, & per manus S. Petri offeramus  
Deo in compensationem multiplicium  
peccatorum. Porrò per septem dies  
quotidie recitemus unum psalmum ex  
pœnitentialibus. Recitasse pœnitebit  
nunquam: Non repetiisse, sæpius.

III.

**T**Antô erga Deum, & proximum  
flagrabat S. Petrus amore, ut è cel-  
læ angustiis in campum prosilire aper-  
tum, æerisque refrigeriô conceptum ar-  
dorem temperare cogeretur. Chare!  
Quid nos pro Deo? Aut proximô?  
Utrumque vix non ignoramus. Hic  
amor, quem debemus amanti? Indi-  
genti? Minus amat, qui extra Deum,  
& proximum aliud diligit, & desiderat.

*Instructio meritoria.*

Ut Deus in toto agnoscatur, & ame-

tur terrarum orbe: Ut & peccatores recedant à viis suis pessimis; Boni verò & justi magis & magis proficiant in spiritu, sanctitate, & justitia, sacrum & rosarium hodiernum in hunc finem applicemus. Ah! cur non ardeat pro Deo cor nostrum, quando cœlum, & terra veniunt in nostrum obsequium? Fili mi! nil magnum, nil altum, nil gratum, vel acceptum sit nobis nisi purè Deus, aut de Deo sit, Gersen.

Festum SS. Ursulæ, & Inclytæ  
Societatis Ejus.

EXHORTATIUNCULA I.

**O** Prudentes Virgines! Aptarunt lampades! Ierunt, mortuæ sunt, sed castæ, sed innocentes. Hic mos sponsarum Christi! Malunt perdere omnia, modò animas salvent. O fili! Quid prodest homini, mundum si universum lucretur; animæ verò suæ detrimentum patiatur? Totus mundus nos possidet, & nos non possidemus nos ipsos. Quidquid sit, vel fiat de mundo, de corpore &c. Nos sapere oportet, &  
non

non negligere nos ipsos. *Qui enim sibi nequam, cui bonus? est sapiens anima sua sapiens.* Eccl. 27. Hoc unum est necessarium, hoc negotium negotiorum: Propriæ salutis cura.

*Instructio meritoria.*

Ubi lampades nostræ? Ecce! Sponsus venit. Occurramus adventanti per Sacramentalem confessionem, & Communionem hoc Festô singulis annis repetendam. Compensabit devotionem, & hunc sui amorem in lectulo mortis S. Ursula. O beata mors, quam dulcorant undecim Virginum millia. Aderunt, si in cultu earum nobis non deerit constantia.

II.

**Q**uid hoc? Dilectissime! Ecce! advolant barbari, sagittæ parantur & arcus, interitum minatur undique tyrannica mors. Non cedit cum societate immota Virgo, B. Ursula, stat, & mille mortes optat, quàm foedari. Quantus amor! O Chare! nobis vix non omnia eveniunt difficillima, cum quæ pro Christo agenda, aut sustinenda.

Quanta

Quanta ignavia ! O fili ! Non sufficit, diligere Deum, sed verè, fervidè, & ardentè, constanterque diligere expedit. Cessare ante tempus, desidiæ est maximæ. Hinc D. Paulus: *Sic currite, ut comprehendatis.*

*Instructio meritoria.*

Amazones tam generosæ expectantur plures in Ecclesia. Sunt, quia in Monasteriis enutriuntur plurimæ. Ut suâ puritate, & innocentia delectent, & leniant vulnera in Corde Jesu, quæ infligunt impura pectora, visitabimus hodie altare aliquod Beatæ Ursulæ sacrum, vel aliàs nobis pro nostra in hac Virginem devotione liberè in templo electum, ibique orabimus S. Rosarium gaudiosum pro perseverantia omnium in statu Virginali viventium. *Divinorum omnium divinissimum est, cooperari in salutem animarum.* S. Dionysius.

III.

**F**lebilem casum ! Una ex numero tot Virginum cecidit animò, & metu mortis delituit. Sic nihil perfectum in



in hoc mundo. Necessè tamen est, ut veniant scandala, & peccata, ut in bono exin solidentur magis sanctorum corda. Fili! si credamus nos stare, timeamus, ne cadamus; Patimur quotidie, unde nostræ nos pudeat inconstantia, & imbecillitatis innata. Hanc auget imprudens timor. Sed rejiciamus cordatissimi pro Deo. Plus vexamur timoribus, quàm malis, plus opinione, quàm re. Mala semel nos premunt, timor assiduè, Meticulosus multa credit, parùm audet, agit nihil. O vile hominum meticolosorum genus!

*Instructio meritoria.*

Sed quid nobis agendum, dum humanâ seducti infirmitate labimur? Citò in genua provoluti, & Crucifixum Jesum arripientes manibus, ingemiscendò, & pectus dolorosè tundendò, post amorosa oscula dicamus: *Miserere mei Deus, cum quinque Pater & Ave* in honorem SS. Vulnerum. Additâ S. Aug. clausulâ: *Domine Jesu! Deus & pars Cordis mei! Per illa SS. Vulnera, quæ amor mei tibi infixit in Cruce, quæso,*  
*tuo*

594 XXVIII. Octobris. S. Simonis & Judæ Ap.  
*tuo famulo subveni, quem pretioso san-*  
*guine redemisti.* Si fieri potest, eâdem  
die, vel sequenti humiliter confiteamur,  
quia peccavimus. Sic cecidisse non no-  
cet.

## Festum Sanctorum Apostolo- rum Simonis, & Judæ.

### EXHORTATIUNCULA I.

**H**I Apostoli ò quales non tulere in-  
urias, & persecutiones à mundo!  
Sed non mirum. Christi erant discipu-  
li, quorum vita una continuata perse-  
cutio. Dubito, mi bone fili! An &  
nos de eorum simus numero? Quia,  
quòd nos odiat mundus, corde tam in-  
firmo, ac debili portamus. Ubi est fi-  
des nostra? Ubi & spes solida? Stemus  
firmiter, & perseveranter! Simus lon-  
ganimes, & viri fortes, & veniet nobis  
consolatio in tempore. Gersen.

#### *Instructio meritoria.*

Tempore afflictionis, vel persecutio-  
nis sese subtrahere publico, & agere  
cum solo Deo, non modò consultum,  
sed & sanctum est. In solitudine, & re-  
colle-

XXVIII. Octobr. SS. Simonis & Judæ Ap. 595  
collectiōne videbimus auxilium Dei su-  
per nos, ubi & elevatis in cœlum, vel  
Jesum Crucifixum oculis, frequenter su-  
spiremus: *Domine! in nomine tuo sal-  
vum me fac, & in virtute tuo judica  
me. Deus exaudi &c.* Neglectō, &  
non invocatō Deō quid poterit homo?

II.

**D**ilecte! quid eligimus? Magis dili-  
gi à mundō? An verò à Christo  
Domino? Si à Christo? Mundum relin-  
quamus cum omni pompa & concupi-  
scentia ejus, necesse est. Et sanè, *qui  
renuntiavit sæculo, major est honoribus  
ejus, & regnō.* S. Cyprianus.

*Instructio meritoria.*

Species de sæculo redeuntes citò alli-  
damus ad Christum easque deportemus  
ad sanctissimum Dei Evcharistici taber-  
naculum, rogitantes: *Judica me Deus,  
& discerne causam meam de gente non  
sancta, ab homine iniquo, & doloso erue  
me.* Caveamus, ne nos sæculi immi-  
scendo negotiis ardentio rem his specie-  
bus præbeamus fomitem. Quod stu-

pa

596 XXVIII. Octobr. SS. Simonis & Judæ Ap.  
pa igni, hoc mundi cogitatio orcino  
impostori.

III.

**O** Si & nos cum his sanctis Apostolis  
audiremus illa Christi verba: *Ego  
elegi vos.* Quàm tuta, & beata foret  
fors nostra! At quid obstat, ut non au-  
diamus? Quia corpus, quia nostra com-  
moda propria, respectum humanum  
cum nimia sui reputatione principaliter,  
& constanter attendimus. Sic capimur  
à mundo, & relinquimur à Christo. O  
derelictionem! Nam *nullum amanti  
Deum gravius est supplicium vitæ, quæ  
à summi Boni possessione arcet.* S. Xa-  
verius.

*Instructio meritoria.*

Profectò hoc non est quærere solum  
Deum! Quæramus nos in majori puri-  
tate, saltem indifferentibus diei operi-  
bus expressam præmittendò intentio-  
nem, & contestationem candidissimam:  
*Deus meus mihi, & ego ipsi.* Itidem  
preces consuetas, & ordinarias devotio-  
nes extraordinariò hodie affectu peraga-  
mus. Ut Deus augeat fervorem, recite-  
tur

cur Officium de Spiritu Sancto. Quis  
oret & non ardeat?

Festum S. Narcissi Episcopi, &  
Martyris, Augustæ Vindelicorum  
Apostoli.

EXHORTATIUNCULA I.

**S**. Narcissus suâ modestiâ, & vitæ san-  
ctioris exemplô traxit Hilariam,  
Afram, & totam familiam ad Christi Je-  
su fidem, & gratiam. O quot adhuc fie-  
rent ejusmodi conversiones inopinæ, si  
non deessent pii, & sancti homines!  
Chare! libertate, aut eruditione nostrâ  
malè credimus, converti populos; non  
scientiæ, aut libertatis vanæ hoc opus  
est, sed dexteræ Dei. Nos in virtute fa-  
ciamus, quod possumus: Deus supple-  
bit cætera. Trahit populum, qui vivit  
ad Dei & cœli obsequium.

*Instructio meritoria.*

Ut Deus toti Vindelicorum Augustæ  
meritis S. Narcissi provideat de viris verè  
Apostolicis, doctrinâque, ac pietate  
conspicuis, offeramus hodiernum Cur-  
sum cum S. Rosario. Quod fit populo,  
fit

fit & Sancto. Fratres! Oremus pro invicem, ut omnes salvemur.

## II.

**T**Ros sustinuit hostes sibi infensissimos S. Narcissus, quorum calumnias fortiter tulit. Dicant, & spargant de nobis homines, quidquid velint. Filii! non terreamur, modò conscientia nos non accuset. Erit justus causæ nostræ Judex Deus. Cur aliis plus credimus, quàm nobis? Chare! in nobis habemus, seu boni simus, seu mali. Quid ergo ad nos hominum opinio? rectè vivamus! & judicabimur rectè.

*Instructio meritoria.*

Attendamus, ne vel umbrâ accuminosi verbi utamur. Lingua mordax infesta est omnibus. Pro pace, concordia & fraterna charitate visitemus altaria in templo, & pro istarum virtutum conservatione recitemus officium de Amantissimo Corde Jesu. Inde sumitur aurum, quò nobis emitur coelum.

## III.

**C**alumniatores quos Vir Dei S. Narcissus sustinuit in officio Boni Pastoris,

storis, feriit irata Dei vindicis dextera. Unum inverecundò morbò sustulit è vivis. Alterum percussit cæcitate. Tertium gravi conscientia exstimulavit stimulò. Ecce! quàm citò cælum ulciscatur, quod in proximi charitatem, & honorem committitur. Quis ô Bone! Calumnias non pertimescat? Has Christi amore pati, summa felicitas! Inferre, vel loqui infelix damnatio! Chare! calumniæ nobis sint suavissimæ, quibûs amici constituimur Dei. At quàm metuendæ! quàm & crudeles hominum, vel sæculi blanditiæ! *O sæculum nequam* (clamat S. Bernardus) *quod tuos sic beare soles amicos, ut Dei facias inimicos.*

*Instructio meritoria.*

Satisfacturi tot offensis, injuriis, & calumniis, quibûs nostrum unquam contristavimus proximum *Psalms Pœnitentiales cum Litanis de omnibus Sanctis* devotè recitemus, & pro illius singulari profectu, tam in naturalibus, quàm supernaturalibus intensiùs clamemus ad Superos. Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Possumus, si volumus.

mus.

600 XXX. Octobr. Commem. SS. Mart. &c.  
mus. Ad preces ergo, & pietatis suffra-  
gia!

Commemoratio . Sanctorum  
Martyrum , & aliorum Sanctorum, quo-  
rum Sacrae Reliquiae asservantur in  
Deo dicatis Ecclesiis.

EXHORTATIUNCULA I.

**Q**uid nobis sacris loquuntur ex sar-  
culis Sanctorum gloriosae Reli-  
quiae? Aliud certè non, quàm illa Pau-  
li Verba: *Exhibeamus corpora no-  
stra hostiam viventem, sanctam, &  
Deo placentem. Oportet enim corrup-  
tibile hoc induere incorruptionem, &  
mortale hoc immortalitatem.* 1. Cor. 15.  
Lassetur corpus, modò vigeat spiritus.  
Parùm sapit, cui nihil sapit, nisi in pala-  
to, & sensualitate!

*Instructio meritoria.*

Sed quomodo *hostiam viventem*?  
Si mortificationem Jesu in corpore no-  
stro circumferamus. Mortificationem  
specialiter in visu, in gustu, & auditu.  
Hi sensus ò quàm vivaces non sunt! Re-  
primamus per aliquot actus vel in medi-  
tatio-



XXX. Octob. Commemorat. SS. Martyr. 601  
ratione, vel examine nobis determinandos. Pro moderamine quinque sensuum oremus dolorosum S. Rosarium. Merebimur hac devotione, ut vita Jesu, vita & Sanctorum manifestetur in corporibus nostris.

II.

**G**randis thesaurus in Ecclesiis Sanctorum Reliquiæ. Si pauperes, si nudi, si indigi sumus: quid moramur languidi? Curramus, quæramus ad Sanctorum corpora, quæ jam configurata corpori claritatis Christi Domini. Gaudent eorum animæ in coelis: Quid non impetrabunt invocantibus se? Per aulæ ministros datur, & panditur via ad Principes: Et his tenebrarum filiis infeliciores sint filii lucis?

*Instructio meritoria.*

Coram sacris Reliquiis flectentes, recitemus Lycanias de omnibus sanctis, ut eorum intercessione, & meritis clementer avertantur mala ecclesiis catholicis propter impios, & perversos forte imminencia. Non deserent Sancti locum dilectæ habitationis suæ.

Cc

III. Quo-

## III.

**Q**uoties sacras intuemur Reliquias, toties nobis dici imaginemur: *Ecce! Isti sunt Sancti, qui pro testamento Dei sua corpora tradiderunt, & in sanguine Agni laverunt stolas suas. Fili! Quid sustinimus pro Christo? Sanguinem non petit; sed exemplarem, sanctam, & immaculatam vitam. Efficacius vite, quam lingue testimonium, habent & opera vocem suam tacente lingua.* Cyprianus.

*Instructio meritoria.*

Quotidiana Sacrarum Reliquiarum visitatio erit earum imitatio. *Quis autem erit, qui nobis noceat, si boni amulatores fuerimus? 1. Pet. 3.* In gratiarum actionem, quod Deus suos Sanctos ita glorificet in eorum sacris corporibus, & reliquiis, dicamus *Te Deum Laudamus* cum S. Rosario Glorioso. Commendemus porrò carnis nostræ Resurrectionem ad Gloriam sempiternam. *Fiducia Christianorum, resurrectio mortuorum. Tert.*

Festum

Festum S. Wolfgangi Episcopi,  
& Ratisbonensium Patroni Pri-  
marii.

EXHORTATIUNCULA I.

**L**Aus hominum ò quantum demulcet  
animos nostros! Fili! non ita do-  
minata est S. Wolfgango. Hic popula-  
rem aufugiens auram, in solitudinem  
abiit. Hæc fuga prodigiis non caruit.  
Chare! alii nos celebrant laudibus;  
Nos plura vituperiõ digna in nobis late-  
re scimus; Cur ergo citius illis, quàm  
nobis credimus? Itane nobis viluimus?  
Si encomia tales nos redderent, quales  
dicunt, quærendi undique forent præ-  
cones, & panegyristæ. Non homini,  
sed nostræ credamus conscientiæ. In  
hac testem habemus infallibilem.

*Instructio meritoria.*

Chare! cur ita vacui virtutibus? Quia  
cupimus nimum abundare hominum  
favoribus. Conversatio igitur nostra  
fit caucissima. Ad laudes taceamus, &  
mentaliter nobis dicamus: *Regi seculo-  
rum immortalis, & invisibili, soli Deo*  
C c 2 honor

*honor, & gloria in secula seculorum.*  
 Ante cubitum nocturnum deponamus  
 omnia opera, dicta, & cogitata in vul-  
 nera Jesu, & sinum Mariæ cum conte-  
 statione: *Non nobis, Domine! Non*  
*nobis, sed Nomini tuo da gloriam.* Ho-  
 die dicamus psalmum: *Confitemini Do-*  
*mine; Quoniam bonus, quoniam in se-*  
*culum misericordia ejus.* Ex abundan-  
 tia cordis loquitur os.

## II.

**D**. Wolfgangus suâ institutione Im-  
 peratorem Henricum sanctum  
 peperit orbi. Tanti interest, bonos in  
 vita spirituali sortiri Magistros. Simus  
 & nos (dilecte!) respectu populi Chri-  
 stiani per illustria morum, & virtutum  
 exempla, atque opera. Verbis opus  
 non est, ubi facta loquuntur. Mutus  
 hic orator declamatoribus cunctis effi-  
 caciior persuadebit. Non potest bonus  
 Rex, aut ductor esse populi, qui fuerit  
 malus subditus coeli.

*Instructio meritoria.*

Multa paucis dixit quidam de S. Wolf-  
 gango: *Da tales praeceptores, & tales*  
*habe-*

*habebis Imperatores.* Pro felicitate Romani Imperii offeramus SSS. Trinitati per manus S. Wolfgangi S. Rosarium cum Cursu Mariano. *Grati estote*, clamat Paulus. Coelum! habere Pontificem sanctum, & Cæsarem Christianissimum, quæ hæc tua in nos providentia! Bonitas quanta!

## III.

**O** Miraculum! casuram mali angeli impulsu rupem Vir Domini sui corporis obnixu sustinuit. Ecce! mi fili! Non desunt vires corpori jejuniis, & vigiliis exhausto. Non sustinisset, si benè masticasset ventrem D. Wolfgangus. Carnis mollicie tollitur vigor Divinæ gratiæ. Hinc illa S. Cypriani quotidiana oratio: *Domine Jesu! Da nobis ad te placandum orare impensius; diem luctu transigere; Vigiliis, & fletibus noctes ducere; Stratos solo adherere cineri, in cilicio, & sordibus volutari.*

*Instructio meritoria.*

Onera, sarcina passionum heu quanta in nobis: Removenda, abjicienda sunt!

Quomodo? afflictione, & mortificatione. Igitur cilicia, & jejunia jugiter amplectamur, unaque, vel altera vice per septimanam rebellibus applicemus corporibus. Quid arma à latere, vel in manibus militum, si nunquam contra inimicos stringantur? Dum sumus in opere poenitentiae, *Psalmos poenitentiales* offeramus Deo contra tentationes carnis. Huic non parcat. Dei Filius toto vitae passus est tempore: Et homo semper in deliciis, semper in voluptatibus! Quae haec similitudo cum Christo?

## N O V E M B E R.

Festum omnium Sanctorum  
triumphantis Ecclesiae.

### EXHORTATIUNCULA I.

**F**ili! periclitamur omni hora! Insidiae sunt undique, & innumerae. *Ad aliquem ergo sanctorum convertere, monet Job patientissimus. Multo plus valet unus sanctus orando, quam peccatores innumeri praeliando.* Origenes. Sapienter & D. Bernardus: *Summopere*